



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1063. Usque Ad Annum 1100

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1761

VD18 90117964

§. 20. Robertus Guischardus Papam liberat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66363](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66363)

Sæculum XI. eorum, qui ferocissimi videbantur, demisit. **A. C. 1084.** Ejus monita & documenta salutaria compluribus miraculis confirmabantur, quorum fructum ut accurate cognosceret Flandriæ Comes, Eremboldum Brugæ Præfectum computare jussit summam pecuniæ, quæ pendenda fuisset ob cades in sola illa regione factas, & quarum tristes effectus S. Episcopus prohibuerat; tumque apparuit, decem millia marcarum argentearum non suffectura fuisse. Ergo cum tota Flandria S. Virum tenere amaret, locus, in quo acquiesceret, exquisitur, dataque est ei Ecclesia S. Petri Udemburgi, ubi Congregationem monachorum Benedictinorum instituit, quibus primum Abbatem Arnulphum nepotem suum præfecit. Eodem anno S. Arnulphus ad curam suæ Diocesis Sueffionensis gerendam rediit.

Mabil. obs.
p. 504.

§. XX.

Robertus Guischarus Papam liberat.

Att. ap. Boll.
p. 158.

Interim Gregorius Papa adhuc obsidebatur in Arce S. Angeli, circa quam Henricus Imperator murum educi jussit. Sed in non nullis munimentis pro Papa constanter pugnabatur, ejusque nepos Rusticus in medio Urbis tuebatur Septizonium Severi, a septemplici contignatione ita dictum, cujus hodieque rudera visuntur. Ceterum Imperator singulis diebus

diebus quamdam Ecclesiam adibat, in ^{Sæculum XI.} qua Secessum sibi delegerat, ut collecto ^{A.C. 1084.} animo oraret. Aliquis inimicorum ejus, ^{vit. Henric.} cum locum notasset, illi trabi, cui la ^{edit. 1585.} queare incumbebat, prægrave saxum im- ^{p. 385.} posuit, tabulatum perforavit, ita ut si successissent insidiæ, lapis recta in caput Cæsaris incidens orantem obtereret. Ergo cum tota nocte super tectum latuisset, ubi Imperatorem orationi vacantem vidit, toto annisu impulit saxum, quod suo pondere incautum motorem secum præcipitem traxit. At Imperator, saxum simul virumque irruentem modica corporis declinatione devitans, incolumis perstitit. Atrocis facinoris fama per urbem sparsa populus in latronem invito Imperatore manus injicit, & miserum per invia & saxa acuta raptans dilaniat.

Inter hæc Imperatori nuncii afferunt, Robertum Guischarum in Italiam rediisse, & Pontifici parasse auxilia, cum igitur se viribus inferiorem intelligeret, relicta Roma in Longobardiam recessit. Quippe jam biennio Gregorius Papa per ^{Gaufr. de} literas Robertum Ducem in Græcia mi- ^{Malater.} litantem urgebat, ut veniret & se ab ho- ^{l. III. c. 33.} stibus liberaret. Ægre quidem eo adduci potuit Dux, ut a cœptis in Græcia desisteret, nam felicibus armis multas Ditiones Alexio eripuerat; sed quia Pa-



Sæculum XI.
A.C. 1084. pam ut Dominum suum colebat, postquam ei Fidem juraverat, omne aliud lucrum postponendum esse existimavit, ut officium suum impletet, & Ecclesiæ opem ferret. Ergo exercitui in Græcia filium suum Bœmundum præficit, bellum pro patre gesturum, & conscensa nave paucis comitantibus portum Hydruntinum attingit. Romam deinde in eunte mense Majo anno millesimo octogesimo quarto pervenit, cumque Romani Papæ infesti ei obsisterent, Urbem diripuit, & magnam partem succendit. Papam ex S. Angeli munimentis educatum Palatio Lateranensi restituit. Tum Roma egressus brevi tempore complures arces urbesque Pontificis potestati subiecit.

Bertold. an.
1084.

Gregorius post reditum in Urbem, celebrato Concilio decimo, Excommunicationem contra Guibertum Antipapam, Henricum Imperatorem eorumque Fautores iterum confirmavit, eamque Sententiam ultra montes a suis Legatis, in Francia a Petro Episcopo Albanensi & in Germania ab Ottone Episcopo Ostiensi promulgari iussit. Otto Ostiensis diu in Germania commoratus complures Episcopos in Ecclesiis vacantibus ordinavit. Cumque Ecclesia Constantiensis jam diu Pastore careret, ad eam promovit Gebhardum Bertoldi Ducis filium,
Mo

Monachum, & licet esset nobilissimus, virtutibus quam natalibus illustriorem. *Sæculum XI. A.C. 1084.*
 Electus est a Clericis populoque reluctans & flens largiter, a Legato deinde Dominica sequente, die vigesima secunda Decembris, anno millesimo octogesimo quarto, Episcopus Constantiensis consecratus. In Sabbato, Festo S. Thomæ, eundem Gebhardum Legatus Presbyterum ordinaverat cum quibusdam aliis, inter quos erat etiam Bertoldus, Chronici, quo non aliud præstantius ab illa ætate accepimus, Auctor. Ei Legatus, cum ipsum Presbyterum ordinaret, auctoritate Summi Pontificis potestatem recipiendi pœnitentes dedit. Quod notari meretur.

Papa Romæ versatus Basilicam S. Petri a Mansionariis sexaginta purgavit, qui occupata Ecclesia Sacella omnia, solo Altari principe excepto, obtinebant, & cuncta a peregrinis oblata in lucrum suum convertebant. Erant hi cives Romani, qui uxores habebant aut pellices; sed barba more Clericorum rafa, & Mitra in capite fulgente, peregrinis, maxime ex Longobardia advenientibus agricolis imponebant, se esse Presbyteros Cardinales, acceptisque, quæ homines simplices offeriebant, iis absolutionem peccatorum suorum immani Sacrilegio tribuebant. Noctu vigilabant, simulantes se Ecclesiam

Aff. ap. Boll. c. 3. p. 153.

Sæculum XI. A.C. 1084. siam custodire, quo ipsorum furta, latrocinia, & lascivia faventibus tenebris laterent. His itaque non sine maximo labore expulsis, Pontifex Clericis & Presbyteris bonæ vitæ Basilicam S. Petri custodiendam commisit, & satis longo temporis spatio Romæ commoratus, Cassinum perrexit, ubi postquam aliquot diebus divertisset, inde Salernum se contulit, ibique usque ad obitum suum, Ducis Roberti præsidio tutus, Abbate vero Cassinensi ipsi, Episcopis & Cardinalibus eum comitantibus, vitæ necessaria præbente, permansit.

Chron. Cass.
III. c. 335.

§. XXI.

Schismaticorum vires accisæ.

vit. S. Anselm. n. 20.
Bertold. an.
1084. Imperator Roma excedens Longobardiam petierat, ubi relicto Antipapa Guiberto, Longobardos ad fidem sibi constanter præstandam hortatus in Germaniam iter arripuit. Nec mora, Episcopi Marchionesque Longobardi copioso cincti milite in Ditiones Mathildis Comitissæ irrumpunt, cujus Vasalli subito periculo turbati paucas cohortes objicere hostibus potuere. At animum addidit Anselmus Episcopus Lucensis, eis Episcopalem Benedictionem transmittens per suum Pœnitentiarium, cui inprimis præcepit, ut primo illos absolveret, qui excommunicatos non vitassent, deinde omni-